



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Joannes Baptista. Contemptus deliciarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. JOANNES BAPTISTA.

Contemptus deliciarum.

Deus, qui B. JOANNEM, Unigeniti tui
Prodromum & Baptistam futurum,
asperioris victus ac vestitus exemplo
prælucere seculis venturis voluisti; da
nobis animum à superfluis deliciis
alienum, & vitam inculpatam.

Ora pro nimium delicatis,



Sterili diu uxoris Elisabethæ conjugio
usus Sacerdos Zacharias, dum adoleret
incensum Domino, ab Angelo didicit nas-
citurum sibi filium, qui Messiaë futurus Pro-
dromus esset. Factum id sex mensibus ci-
tius quam ex Maria nasceretur Christus; &
mirabilem sanctificati in utero infantis or-
tum, mirabiliorem fecit muto ob incredu-
litate patri loquela reddita, mox atq; JO-
ANNI nomen esse scripsit. Latuit is adul-
tior in eremo, asperrime victitans; quoad
prope erat, ut tot seculis expectatus Salva-
tor manifestaretur. Tum scilicet prior JO-
ANNES prodiit, prædicans baptismum pœ-
nitentiæ circa Jordanem; quo etiam ipse-
met Christus baptizandus accessit; cælestiq;
oraculo agnitus, & indicatus per eum est
turbis. Tali officio functus, cum etiam He-
rodem Rêgem arguisset, de subducta fratri
viventis uxore; primum in vincula conje-
ctus est, deinde etiã capite plexus. Res acta
in Macherunte castello creditur: corpus
truncum sepelivere apud Sebasten discipu-
li: quod maximo ibi in honore fuit, post
redditam Ecclesiæ pacem.

*Habebat vestimentum de pilis camelorum,
& zonã pelliceam circa lumbos suos: esca au-
tẽ ejus erat locusta & mel silvestre, Matt. 3.*